

B. N. H. dog.  
h. 23, 16.

(XAB80784)

II  
k  
1970

Q. D. B. V.

EXERCITATIO POLITICA,

De

# PRÆROGATIVA IMPERII PRINCIPIS PROTESTANTIS,

quam

Eruditorum examini

In Academia Lipsiensi,

MODERANTE

DN. L. ADAMO Rechenberg/

P. P. & Collegii majoris Principum  
Collegiato,

Hospite, & Præceptore suo

ætatem devenerando

H. D. Vomberg

d. 2. Sept. An. Chr. M. DC. XCVI.

submittit

FRIDERICUS HENNING, 17.  
Beichl. Thuring.

LIPSIAE,

Typis CHRISTIANI BÄCKMANNI.

817.





*Serenissimo Principi ac Domino,*  
DOMINO  
**WILHELMO FRI-**  
**DERICO,**  
MARCHIONI BRANDENBURGI-  
CO, DUCI BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, CLI-  
VIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ,  
CASSUBIORUM ET VINIDORUM, NEC NON IN SILESIA  
CROSNÆ, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI  
HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI, COMITI HO-  
HENZOLLERÆ, MARCÆ ET RAVENSBERG, DY-  
NASTÆ IN RAVENSTEIN, LALIENBURG  
ET BUTAU &c.

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,*

*Felicitatem perpetuam!*

*Domine Clementissime,*

On mediocris audaciæ argumentum  
est, Principem adire, ejusque splen-  
dore tenuibus pagellis lucem fœnerari  
velle. Qvo igitur TIBI PRINCEPS  
SERENISSIME, nomine veniam, qui  
præsentem hanc dissipatiunculam ILLUSTRISSIMO

SVP

No-



NOMINI TUI humillime inscribere, eodemque  
cultum testari meum ausus sim? Tot & insitae virtutis  
Tuæ debitique mei, nec non materiæ ipsius haut  
alienæ a Serenissima Gente Tua, argumenta faciunt,  
ut non erubuerim. Ea certa in TE, DOMINE  
CLEMENTISSIME animi vis atque virtus non pe-  
regrinatur, sed habitat, quæ omnes in sui admira-  
tionem merito rapit. Et licet Adolescentis adhuc  
annos vertas; tantum tamen profiteris in studiis Prin-  
cipe dignis fervorem, tantosque ostendis profectus, ut  
nulla amplissimarum laudum Tuarum parte respon-  
dere videaris tenerimæ ætati, nosque omnes plenis-  
simò adplausu optima & summa quæque nobis hinc  
ominemur. Quamvis vero tacere satius sit, quam  
pauca dicere; nequeo tamen imperare admirationi,  
quoniam in transcursu quoque venerer summam huma-  
nitatem atque clementiam, quam felicissimo confor-  
tio adolescens adhuc, ita jam conjunxisti atque at-  
temperasti cum gravitate; ut nullus Tuo possit frui  
adspicere, quoniam mirifico statim affectu Te amet, vene-  
retur, colat. Quam itaque ob rem mihi vitio dandum,  
quod tam blanda vi ductus hoc, quidquid est speci-  
minis, CLEMENTISSIMÆ TUÆ SERENITATI consecra-  
verim? Ad hoc quidem accedat maxima obstrictissi-  
mæ mentis ratio, quæ eam provinciam ut mihi sume-  
rem non invitabat, sed severa lege exigebat. SERE-  
NISSIMÆ enim MATRIS TUÆ, VIDUÆ ELECTORALIS,

quæ

qvæ absolutissimum omnium & singularum virtutum exemplar exhibit, gratia & clementia major est in parentem meum, qvam ut ullo vel officii vel servitii genere compensari queat ; majora in me nondum merentem beneficia collata, qvam ut possint dignis verborum encomiis satis deprædicari. Præterea cum dissertatio hæc mea de *Prærogativa imperii Principis Protestantis* conscripta sit, non crediderim alii cuidam argumento magis convenire cum optima, qvam de **TUA SERENITATE**, Princeps Optime, fovemus, spe, cumqve immortali Majorum Tuorum gloriosissimæ recordationis laude. Tanta enim pietate, tanta constantia ipsos usos fuisse accepimus in veræ religionis libertate asserenda & tuenda ; ut ipsa etiam vita eam non contra charam habuerint. Cumqve qvam potest fieri exactissime Serenissimorum Parentum Tuorum vestigia premas ; non est qvod unquam dubitemus, hunc quoqve pietatis & veræ Religionis zelum **TE CLEMENTISSIME PRINCEPS** imitari : ut hinc Tuam etiam rem agi credamus, dum *Prærogativam imperii Principis Protestantis* præ Romano-Catholici asserimus. Qvam ob rationem & Tuam fecisse **SER. PRINCEPS** hanc dissertationem liceat ! Neqve vero mihi, qvi hac piæ gratæq; mentis tessera subjectissimam meam observantiam testari gestio, aliud magis cordi est, qvam ut qvodcunqve obtulerim, inter veniæ spem & limites subsistat. Ac licet sub-



sublimior sit nostra laude SERENITATIS TUÆ CLEMENTIA; tamen ut olim industrius pictor velo obumbrabat, qvod penicillo exprimi posse desperabat: ita ego tantam meam hinc felicitatem religioso silentio venerabor ardentissimoq; voto semper proseqvar. Deus itaq; Ter Optimus Terque maximus Te incolumen, sartum tectumq; esse jubeat, ac indolem istam Principe dignissimam & nihil humile spirantem ad majora indies incrementa provehat. Nullo tempore destituaris erudita istorum solertia, qvi ad gloriam Tibi demonstrent aditum. In primis incolunem DEUS MATREM SERENISSIMAM, diutissime servet, qvæ optimis exemplis TIBI præcat, omnesq; in posterum ab eadem arceat morbos atq; dolores; ut non solum IPSA amplius sibi gratulari queat de tam exoptato FILIO PRINCIPE; sed ut in posterum quoq; orbis habeat, qvod admiretur & patria colat! ita devotissime precor


Scrib. Lipsia 30. Aug.

M DC XCVI.

## SERENITATI VESTRÆ

humillime subjectus

FRIDERICUS HENNING.



# EXERCITATIONIS

hujus  
SUMMARIUM.

§. 1. Exercitationis exordium. 2. ejusdem argumentum & unde discrimen Protestantes inter & Catholicos Principes originem traxit. 3. qui primum sub Protestantium nomine comprehensi. 4. Reformati eodem vocabulo discernuntur. 5. Prærogativa imperii relationem ad Principes Catholicos involvit. 6. Transfusio ad vim imperii declarandam. 7. Ipsum imperium quid involvat. 8. imperio civili omnes cives subjecti. 9. Clerici, qui vocantur, jure naturæ & divino eodem non sunt exempti. 10. quia religio Christiana non mutat statum civis. 11. Nec clerici in veteri ecclesia eo eximi voluerunt. 12. Exemptio clericorum a civili imperio est recentioris instituti. 13. Episcopi Romani ex ecclesia statum formare moliti. 14. Ansa status formandi ex indulgentia Cæsarum & Principum. 15. Hildebrandus Papa imperium seu Monarchiam ecclesiasticam stabilivit absolutam. 16. Dictatus, ut vocantur, Hildebrandini Monarchici. 17. Huic dominatui tyrannico Principes Protestantes Luthero duce obnisi. 18. inde imperii prærogati-

rogativa Principis Protestantis. 19. Partes hujus imperii. 20. Primo jus in personas, quæ dicuntur, clericas. 21. Secundo in actiones eorum, & quales. 22. Tertio in bona clericorum seu ecclesiastica. 23. Jus hoc Principes Protestantes sibi merito vindicarunt. 24. Prærogativa hæc imperii constat tribus partibꝫ. 25. Jus imperii in personas ecclesiasticas asseritur. 26. Recte defensum fuisse probatur. 27. Lutheri opera hac in parte prædicanda. 28. Translatio ad jus in acta clericorum. 29. Acta vel actiones clericorū distingvuntur. 30. quæ actiones clericorum civili imperio exent? 31. quæ actiones sacræ civili imperio subjacent: 32. quæ clericorum aliæ. 33. Jus hoc Principum Protestantium circa ecclesiastica, in pace Augustana assertū. 34. In Pace VVestphalica denuo confirmatum. 35. Jus in bona ecclesiastica itidem firmatum. 36. Bona ecclesiastica, quæ vocantur? 37. Horum origo & causa. 38. Jus Protestantium in illa exuberantia reformandi. 39. Fundamenta istius juris. 40. Opposita argumenta infirmo tali nituntur. 41. id quod demonstratur. 42. titulus donationis examinatur. 43. Abusus bonorum ecclesiasticorum ex Bulla Pontificis R. Clementis IX. jus revocandi & reformandi ista præbet. 44. Confirmatur ex Caroli V. Imper. & Clementis VII. facto. 45. Prærogativa imperii ergo Principis Protestantis firmo jure nititur. 46. ideo justa & eximia est.

§. I. Ali-





§. I.



Liquid industriæ Academicæ documentum edere jussus, operam meam in argumento illustri potius, quam humili ac protrito nimis collocare volui. Non quod ea mihi subblandiatur ingenii studiorumque fiducia, ut de arduis rebus præclare statuere audeam; sed quod in magnis voluisse, viresque ad majora præparare modeste conanti utique liceat.

§. 2.

Argumentum igitur differendi impræsentiarum, quod mihi placuit, est PRÆROGATIVA IMPERII PRINCIPIS PROTESTANTIS. Id vero novum Principum PROTESTANTES inter & ROMANO-CATHOLICOS discrimen ævô abhinc proximo anno Chr. 1529. ortum, in universo Christiano orbe satis notum est. Cum enim magis magisq; innotescerent Romanæ Ecclesiæ fraudes ac superstitiones, essetque, quod Pontifici inde timerent, ne latius diffusâ veritate penitus de statu suô dejicerentur; Cæsar Carolus V. in hujus rei remedium, novum publicabat decretum, quod Job. Sleidanus Comment. lib. VI. his verbis memoriae prodidit: *Qui Cæsar is edictum illud adbuc servarunt, deinceps quoque servent, ad concilium usq; de quo Cæsar jam prope certam spem faciat, & populum huc etiam adstringant; qui vero doctrinæ genus mutarunt, neque discedere jam ab eō possunt absque metu seditionis, ut hi sibi temperent in posterum, nec aliquid præterea inno-*

vent ad usque concilii tempus: deinde, ne doctrina eorum, qvi  
de Cœna Domini secus, qvam Ecclesia docent, recipiatur, neqve  
abrogetur Missa: nec iis in locis, ubi novum est doctrinæ genus,  
impedimentum fiat, qvo minus ad Missam, qvi volent, accedant:  
Anabaptistis etiam, qvi suum dogma pertinaciter defendunt,  
capitis pœna constituitur, & Ecclesiæ ministris injungitur, ut  
juxta probatam ab ecclesia interpretationem doceant, alia vero  
dogmata, de qvibus forte disputari possit, non attingant, sed con-  
ciliï decretum expectent: adhæc, ut pacem inter se colant omnes  
ordines, & religionis causa nec damnum invicem dent, nec alter  
alterius ditionis subditos in suam fidem aut tutelam recipiat:  
qvi secus fecerint, proscriptorum numero jubentur esse. Hoc  
vero decretum non poterat non omnibus, qvi solidiorem con-  
scientiæ rationem habebant, facile & perspicue ostendere,  
vim inferri fidei suæ seu Religionis libertati: qvamobrem tan-  
tum aberat, ut ei subscriberetur; ut potius unanimi juxta &  
constanti consilio sese opponerent Elector Saxoniæ Johan-  
nes Constans appellatus, Georgius Marchio Brandenburgi-  
cus, Ernestus & Franciscus Lunæburgici, Landgravius Philip-  
pus, Anhaldius Princeps. Et agebatur dies XIX. mensis Apri-  
lis, ex qvo rationes, qvibus utiqve impedirentur, qvo minus  
suum qvoqve adderent assensum, scriptis tradebant Cæsari.  
Id qvod Sleidanus iterum hunc in modum explicat: *Et primo*  
*qvidem superioris conventus decretum repetunt, qvo sua cuig;*  
*religio permittitur ad usq; concilium: ab eo minime disceden-*  
*dum, neg;* esse violanda, *qva tunc pacis retinenda causa post*  
*multam deliberationem pacta fuerunt, & signis atqve jureju-*  
*rando confirmata: se qvidem exemplo majorum suorum velle*  
*omnia Cæsar is causa: qvatum etiam facultatibus atq; viribus*  
*possint, libenter ad ejus usum atq; dignitatem collatueros: præ-*  
*sentem vero causam ad omnium salutem pertinere sempiter-*  
*nam: qvod igitur ab ipsis in eo dissentiant, orare, ne moleste*  
*ferant:*

ferant: Sicut enim superius decretum de communi omnium voluntate factum sit; ita quoque, nisi pariter assentiantur omnes, rescindi non posse, nec irritum fieri: quo minus ipsi, quam velint religionis formam, suos intra fines constituant, non se repugnare, ac rogare DEUM, ut sua cognitionis lumen in omnium mentibus accendat.

### §. 3.

Ab hac protestationis formula nomen PROTESTANTIUM primum in Germaniâ invaluit, eo quidem pacto; ut omnes, qui mentem suam a decreto isto in causa religionis facto alienâ adeo significassent, & postea etiam a placitis Romanæ Ecclesiæ dissentire intelligerentur, PROTESTANTIUM nomine venirent. Dictam enim Ordinum Evangelicorum Protestationem & suam fecerunt præcipue quædam Imperii Civitates, Argentina, Norinberga, Ulma, Constantia, Rutelinga, Winsheim, Memminga, Lindavia, Campodunum, Hailbrunum, Isna, Wisseburgum, Norlinga, Sangallum. Et hec quidem prima est origo nominis PROTESTANTIUM, quod non solum in Germania, sed etiam apud exteris gentes per vulgatum est atq[ue] celebre. v. Sleid. & D. Jo. Strauchi Dissertation. Jur. publ. VII.

### §. 4.

Verum hoc discrimine facto, quo scilicet distinguebantur, qui Pontificiorum rebus adhuc studebant, & qui contrarias eisdem tenebant partes, novum aliquod ortum est dissidium. Major enim pars Protestantium, (qui & Lutherani vulgo dicebantur,) alias Zwinglii sententiam de S. Cæna amplexos, a suæ libertatis atque religionis commercio in subsecuta postea transactione Passaviensi, & pace Augustana Religiosa confirmatis exclusos esse volebant; quippe quorum dogmata Lutheri & Augustanæ Confessionis doctrinæ omni ex parte respon-

spondere haut deprehendebatur. Et hinc tanta oriebatur contentio; ut parum abesset, qvin talia negotia ansam dedissent Papicolis, res Protestantium, qvæ pace laudata firmatæ erant, turbandi & subvertendi: maxime, cum hujus seculi anno XXIX. Ferdinandus II. Imperator edictum ferale de bonis ecclesiasticis restituendis publicasset. Unde exitiale bellum ceu notum est, in Germania exarsit. Tandem tamen in Instrumento Pacis Osnabrugensis *Artic. VII. n. 1.* publica autoritate etiam REFORMATIS hoc nominis inditum est: ut nunc eodem cum Lutheranis nomine PROTESTANTUM veniant, eademqve, qva isti, exercendæ in sacro Imperio Romano-Germanico Religionis libertate atqve jure polleant.

### §. 5.

PRÆROGATIVA vero IMPERII, qvam dictis modo *Principibus Protestantibus* vindicatum ibimus, respectum habet ad Principes Romano-Catholicos, qvibuscum Pontifex Romanus divisum habet imperium. Cum enim eo barbari ei atq; inscitiae ventum esset in ferreis istis seculis, ut epistolarum, qvaç primis tribuunt Pontificibus, Decretalium falsitas & injustitia non deprehenderetur; nec non per tot alias artes atq; dolos Principum imperiis se iusinuasset Papalis autoritas; factum etiam est, ut non nisi in *Laicos*, ceu vocantur, jus dicere ipsis Principibus liceret; Clericis sacro imperio Pontificis relictis atq; civilis Jurisdictionis lege exemptis. Quantum autem hoc Principum autoritati & splendori deroget, qvivis rerum civilium aliquantulum peritus æstimare facile potest.

### §. 6.

Nos id demonstrare nunc idoneis rationibus fusius pauculum studebimus. Ubi tamen pretium operæ fuerit, de *imperio Principis*, qvid sit, qvamq; late pateat, qvædam præmonere.

### §. 7.



§. 7.

Id vero nobis hic dicitur summa vel huic proxima potestas, qva in Civitate & territorio suo DEI gratia, aut per certa cum populo primum inita pacta gaudent, ejusque partes aut jura inde libere exercent. Quæ cum ubique rata esse, nec ab alio irrita reddi debeant; necesse est, ut omnes, qui civium & nomine & numero veniunt, eidem sint subjecti; adeo, ut nec eorum personæ, nec actiones nec res salvo dicto imperio, ab illa potestate eximi queant,

§. 8.

Cives quidem, quibus obsequii solum gloria relicta est, ob diversos in civitate ordines, in certas velut classes distinguvi tralatitium est. Verum nullus ordo, nulla classis civium immunitatem ab imperio civili infert aut admittit; cum ut jure naturæ, ita divino præceptivo ei omnis anima subjecta esse debeat, dicente *Apostolo Rom. XIII. 1.*

§. 9.

Quod axioma in Christianorum Politica, primis Christianismi seculis semper indubitatum fuit; adeo, ut nemo, Clericos tyrannico etiam imperio subducere ausus sit. Nam religio Christiana non fecit novum populum, nec Ecclesia constituit statum, qui civitatis & imperii Jura immutet vel evertat. Imo, quod peritissimus iste rerum civilium juxta ac historicarum Vir Pufendorfius affirmat atque demonstrat, adeo nihil omnino in se continet Religio Christiana, quod aliquo modo pugnet cum civili societate legibusque, quæ quidem Juri naturali respondent; ut magis eam promoteat atque confirmet. Quia vero adolescentis primum ecclesiæ tempore deerat suminus Magistratus Christianus,

B

stianus,

stianus, qvi autoritate sua & edictis regere & ordinare dignaretur divinum hoc religionis negotium; necessitatis tandem lege eo adducti sunt, ut ipsi met sibi consulerent, & qvam possent optime sine Imperantium autoritate, suis Ecclesiam consiliis regerent. Nam etsi ad Principum curam omnino pertineant externi cultus divini negotia; tamen, cum isti gentiles essent, & hoc suo non defungerentur officio; alia non poterant via aggredi rem Christiani, qvam si ipsi suæ prospicerent Ecclesiæ. Qvi ergo Christianos se professi sunt, sive doctores sive auditores essent, pristinam conditionem status in civitate non exuerunt. Atque hinc absurdæ sunt qvæstiones; an Monarchica, an Aristocratica, an Democratica forma aptior sit Ecclesiæ? cum formæ istæ non nisi in statum aliquem aut civitatem cadant, qvalis Ecclesia proprie dicta non est. Id qvod laudatus iterum *Pufendorfius* libr. de *Habitu Religionis Christianæ ad vitam Civilem* §. 31. seqq. solidissime demonstravit.

### §. 10.

Dato ergo hoc & jam evicto, Religionem Christianam non mutare civis aut subditi statum, quo antea in Republ. distinctus fuit; nulla certe ratio adparet, cuius praetextu ipsorum doctores, qvibus nulla imperandi potestas a Christo concessa est. *Luc. XXII. 25. 26.* Civili imperio sese subtrahere queant, constituendo novum velut in civitate statum, qvi imperium civile imminuat aut impedit.

### §. II.

Hoc vero postea cum magno imperii civilis damno factum esse, ex historia pariter atque experientia hodie omnibus manifestum satis est. Ab initio enim rei Christianæ ministri cultui divino publice exercendo destinati,

(qvī)



(qui ecclesiastico vocabulo *Clerici* vocantur) humili sorte contenti fere ex stipe collecta & arbitrariis Christianorum oblationibus vivebant, nec ambitione adhuc stimulati, civili imperio una cum aliis Christianis, qui *Laici* audiunt, subjecti degebant. Cum autem hos inter certus quidam ordo institutus esset, ut alii Episcopi, alii Presbyteri, alii Diaconi nomen & munus contigisset; Episcopi a reliquo Clero & populo fidelium electi prærogativa quidem ordinis ante alios gavisi sunt, sed nulla in Clerum reliquum potestate prædicti; quippe qui ipsi reliquorum in morem imperio civili parere jus fasque existimarunt.

§. 12.

Verum a nato Christo tribus seculis elapsis, cum Principes etiam Christo nomina sua dedissent, Episcoporum in Imperio Romano ex nimia Cæsarum indulgentia, autoritas augeri cœpit; ita, ut in maximis Dioecesum Imperii urbibus, qui sedem haberent, Patriarcharum, Metropolitanorum, & tandem Archi-Episcoporum nominibus assumitis, etiam dominatum in cœterum Clerum affectarent sibi que arrogarent. Magna hinc contentio ipsos inter exorta de primatu primum, deinde dominatu in Ecclesia firmando. Imprimis autem Romanus & Constantinopolitanus Episcopi ob urbium eminentiam, in quibus eorum sedes erant, de primatu certarunt. Quam tandem contentionem dirimebat Cæsar Phocas tyrannus; ita ut Bonifacius III. Episcopus Romanus prævaleret tituloque *Episcopi Oecumenici* insigniretur. Et hoc quidem contingebat non nisi odio erga Constantinopolitanum, qui Phocæ tyrannidem approbare detrectaverat. Qvod Theophanes, Zonaras, Cedrenus & Nicephorus annotarunt.

B 2

§. 13.



### §. 13.

Ex hoc tempore mirum, quantum Romani Episcopi  
sategerint ex Ecclesia formare statum, qui Monarchiae ab-  
solutæ typum exhiberet. Multæ sunt artes, magnæ sunt am-  
bages, quibus tanti operis structura confecta fuit. Primum  
opus fuerat ad condendam Rempublicam Ecclesiasticam  
eandemque Monarchicam, ut Episcopi aliarum Diœce-  
sium sedi Romanæ subjicerentur, nec his ea invita neque  
consulta antea propria autoritate liceret Synodos convo-  
care, atque causas in Ecclesia controversas definire, aut ca-  
nones condere. Qvod ut obtineretur necessarium erat,  
Episcopos soli Romano sacramento obstringi, indeque in  
munere suo sacro ab ipso confirmari. Et ne Imperatorum  
& Principum autoritas hic intercederet, investitura, quod  
jus Principum erat, quo scilicet per annulum & baculum  
Episcopis feudi confirmabantur concessa, illis extorquenda  
atque Pontifici Romano vindicanda fuit. Interea etiam  
ipsi Episcopī temporum callidi rem augere suam, & quam  
poterant optime sibi suæque dominationi prospiciere haut  
neglexerunt. Et cum multis jam etiam opibus & divitiis  
ornati essent, ea felicitate eoqve successu utebantur in am-  
bienda jurisdictione, quæ quidem primum penes Principes  
& Episcopalium Advocatos ab istis constitutos steterat; ut  
tum personæ ecclesiasticæ, tum bona sacra ab inspectione  
summæ Potestatis eximerentur, statusqve formaretur Ec-  
clesiæ novus a civili plane distinctus.

### §. 14.

Ansam, ut diximus, hisce dederant profusæ Principum  
donationes & nimia indulgentia in Clerum. Nam Impe-  
ratores a Caroli M. ævo, Episcopis non prædia solum & vil-  
ias, sed oppida quoqve splendidas urbes, arces, munimen-  
ta,

ta, integros comitatus, Principatus & Ducatus dederant. Unus Otto (inquit *Theodoricus de Niem*, scriptor maxime ingenuus) primus Imperator pene omnibus Ecclesiis Cathedralibus in Italia, Gallia, Germania, Burgundia & Lotharingia, multas civitates, castra, oppida, villas & multa alia dominia temporalia jura & jurisdictiones donavit. Archiepiscopos quoque & Episcopos Ducatibus, Baroniis, comitatibus communicavit: quibus nobiles & potentes subjecit, ut semper essent pari ad resistendum paganis. Confer. *Theod. de Niem l. III. de Schism. c. IX.* Inde tempore Ottonum & deinceps Episcopi ad fastigium principale enecti jura Principum sibi arrogare & sua facere non amplius nefas ducebant. Præsertim cum animos Principum in isthac Christianismi caligine superstitione infedisset, æternam animarum salutem eo magis commendari suarum, si Episcopos & Clerum haberent faventes, qui Numen divinum sibi propitierent, ne purgatoriij jam accensi ustulationes sentire post obitum cogerentur.

### §. 15.

Sed deerat Episcoporum & Cleri capiti (R. Pontificem loqvor) ad stabiendum absolutum dominatum, imperium in ipsos Principes, qui Monarchiæ jam affectatae robur infringere poterant. Itaque Principes adeo subjugandi erant, ut persuaderentur, omne suum imperium & potestatem ab arbitrio dependere R. Pontificis, ipsiusque esse sceptradare atque adimere. Hoc vastum & perniciosum Ecclesiæ & Reipublicæ consilium, seculo undecimo Gregorius VII. Papa, Hildebrandus antea appellatus, homo vaferimus & audacissimus exseqvi haut timide ausus est. Nam primus ille sine consensu Imperatoris se Papam constituit: primus publico decreto omnes investituras laicales

proscriptis & prohibuit: primus Imperatorem Henricum IV. excommunicavit & Imperio exuit: paucis; humanam quasi omnipotentiam tam in ecclesiasticis, quam civilibus constituere laboravit, quam doctissimus Gallus Saravius *Totatum* vocat. v. *Dissertat. Presidis de Totatu Hildebrandino.*

§. 16.

Atque ut hæc summa in orbe Pontificis potestas innotesceret, ceu novus orbis Christiani Dictator capitula seu canones, quos *dictatus XXX.* (alii *XXVII.* numerant) anno, ut *Onuphrius* habet, *MLXXIV.* vel ut *Baronius* vult, *MLXXVI.* publicavit, in his absolutissimum in mundo Pontificis imperium asseritur. Recenset illos *Baronius* ad *an. MLXXVI. n. 31.* ut, quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis: quod ille solus possit deponere Episcopos vel reconciliare; quod solus possit uti imperialibus insigniis: quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur: quod illius solius nomen in ecclesiis recitetur: quod unicum est nomen in mundo PAPÆ videlicet: quod illi liceat Imperatores depone: quod nulla synodus absq; precepto ejus debeat generalis vocari: quod sententia illius a nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit: quod a nemine ipse judicari debeat: quod nullus audeat condemnare Apostolicum sedem appellantem: quod a fidelitate iniquorum subjectos possit absolvere, &c. Hanc insanam hominis ambitionem & dominatum tyrannicum *Baronius* ad *ann. MLXXVII.* *Plutina* in ejus vita, & *Onuphrius Panvinius* aliquæ sedis Romanæ assentatores laudant atque extollunt, quod maximum istum eximumque statum in orbe Christiano firmarit, atque jugum Principibus Christianis omnibus imposuerit tremendum. Annotattamen simul *Onuphrius*

*pbrius in vita* hujus Gregorii f. 262. edit. *Gratseriana*,  
decretis istis vel *Dictatibus Hildebrandinis* majestatem &  
Rom. Imperii dignitatem eversam potestatemque ejus la-  
befactatam fuisse. Id qvod ipse ulterius probat argumen-  
tis sat idoneis in medium allatis.

§. 17.

Firmato sic absolutissimo Pontificis R. dominatu,  
Imperator & Principes sub Pontificum mittebantur ju-  
gum. Nec eodem, licet saepius contra nisi sint, ante libe-  
rari potuerunt, quam seculo superiori; cum Lutherus di-  
vino auspicio tum repurgationem doctrinæ tum Princi-  
pum jura imperii asserere strenue aggressus esset. Nam  
ipse horum dignationem Pontificis & sacerdotum fastu  
hactenus proculcatam e divinis literis vindicatum ivit, si-  
mulque inculcavit, Präsumum Ecclesiæ munus non esse,  
imperare aut Principum jura intervertere; contra vero ho-  
rum esse, Ecclesiæ malis medicinam despicer, sacerdo-  
tum vitia corrigere, juraque sua tum in Clerum, tum in  
bona sacra, quibus illi abutebantur ad luxum & segnitiem,  
ad genuinum usum revocare. Quæ res non minus adver-  
sæ partis animos, quam dogmata repudiata, mutatiqve ri-  
tus superstitionis irritavere, ut illis in auxilium vocato Cæ-  
sare resisterent. Cæsar qvidem in conventu Spirensi an.  
1526. jusserrat quemque circa religionem ita se gerere, prout  
DEO, & sibi id adprobari posse consideret. Sed cum Prin-  
cipes Luthero faventes id latius in sui favorem interpreta-  
rentur, alio mox decreto in conventu iterum Spirensi an.  
1529. eum favorem arctius constringere tentavit belli jam  
Gallici cura solutus. Qvo decreto in gratiam adversæ  
partis facto, cum Elector Saxoniam & alii Principes supra  
nomi-

nominati se velle teneri protestarentur, *Protestantium* (ut fuisus dictum §. 3.) nomen his in posterum adhaesit.

§. 18.

Hinc novo nomine Principibus & aliis Ordinibus ab Ecclesiæ R. placitis & perversæ Politices regulis dissentientibus indito, videndum est, qvam *juris vel imperii prerogativam* illi non sine multo sanguine profuso, tandem sibi vindicatum iverint.

§. 19.

PRÆROGATIVA HÆC IMPERII seu jus impetrandi qvibus partibus constet jam dilucidius exponendum venit. Nimirum in isthoc pristino caligantis Ecclesiæ statu, dimidia imperii pars Principibus ademta fuerat; puta jus in PERSONAS, ACTIONES ET BONA CLERI. Nam ut supra ostendimus, Episcopi & caput eorum Papa R. statum novum in statu firmaverant, quo contra omnes civilis prudenter regulas, Resp. velut biceps facta erat: ut qvi *cleri* vocabulo discernerentur Episcopis & Papæ essent subjecti; qvi *laici* vero audirent, tantum Principibus parere tenerentur. Itaque ut pleno & sibi competenti imperii jure iterum uti possent principes Protestantes, illam imperii distinctionem tollere necessum fuit.

§. 20.

Atque hoc jure factum esse, idoneis facile argumentis demonstrari potest. Qvia *primo* nullo jure cleri civili imperio exempti sunt; cum nec munus sacrum, nec tractatio rerum sacrarum qvemvis a potestate civili immunem reddere queat. Unde nec Christus nec Apostoli vel semetipsos vel suos asseclas a civili imperio exemtos voluerunt; cum neque

neque onera civilia ferre recusarint. *Mattb. XVII. 27.* Ipse Paulus cum coram Festo Præside, Evangelici muneric causa accusaretur, ad forum sacrum seu Synedrium, declinando civile haut provocavit *Act. XXV.* Nam ante docuerat *omnem animam* summis potestatibus civilibus debere esse subiectam *Rom. XIII. 1.* Ad quod præceptum Apostoli etiam Polycarpus Smyrnensis Episcopus apud *Eusebium lib. IV. Hist. Eccl. c. 15.* provocavit. Hinc illud scitum Protestantium est: *Evangelium non abolere politias aut imperii jura. Vid. Apol. Aug. Conf. c. VIII. p. 215. seq.* Ex quo conseqvitur, clericorum personas civili imperio haut eximi debere,

### §. 21.

*Deinde*, quod muneric ecclesiastici partes attinet, illæ vel tractationem doctrinæ divinitus in S. literis revelatae & & ad tradendum aliis mandatae; vel tractationem mysteriorum, qualia sunt sacramenta spectant: Hæ inquam partes, cum a civili potestate non dependeant, nec aliter, quam a DEO revelata & instituta sunt, ordinari debeant; arbitrio summorum utique Imperantium exempta esse constat. Adeoque circa has nullum eis competit jus; nisi, quod ut hæc publice hoc vel illo loco & tempore fiant, constituere queant. Nemo enim in Ecclesia publice docere aut sacramenta administrare debet, nisi rite vocatus. v. *Art. XIV. A. Confess.* Quod vero attinet disciplinam & ritus in Ecclesia necessarios, de iis dispicere & ordinare utique summorum imperantium est; cum intersit etiam Reipublicæ Christianæ, ut omnia fiant *Ωχημόνως καὶ κατὰ τὰ ΞIV. 1. Cor. XIV. 20.* quæ potestas circa sacra, *externa* appellatur, cum ad cultum solum externum vel decorum ejus faciat. Hanc Christiani Principes a Constantini M. tempore, quo religio Christiana publico privilegio in Civitate recepta & munita fuit, sibi

C

meri-

merito vindicarunt & usurparunt; donec illam Hildebrandus seu Gregorius VII. Papa R. & ejus asseclæ ipsis eriperent. Id qvod *H. Grotius libro de Jur. Summar. Potestat. circa sacra, & Ziglerus de Jur. Maj. tractat. l. i. c. 13. & 14. seq.* fuse demonstrarunt.

§. 22.

BONA SACRA seu ECCLESIASTICA, qvæ sacerdotibus Constantini M. ævo & seqventibus inde seculis primum modice assignata, sensim vero postea accumulata fuere nimis; præcipue cum superstitione seculo octavo & seqventibus inolevisset, magnum pietatis opus esse, si sacra professis qvam lautissime esset prospectum; bona inquam illa ad sacros usus destinata clericis quidem propria facta sunt, ut aliis usibus ista sine urgente Reip. necessitate applicare velle, nefas videatur. Verumtamen cum iis uti & abuti Clerici possint, summarum potestatum, qvibus inspectio in bona omnium subditorum competit, utique est, & hac in parte providere; ne illa si abundant, ad luxum alendum insumentur, aut temere prodigantur. Atque hinc illorum etiam curam gerere, penes Principes, qui Ecclesiæ nutritii appellantur, fuit.

§. 23.

Ex his constare arbitror, *Principes protestantes* Jus sibi in personas, acta, & bona clericorum merito vindicasse: adeo ut mirandum sit, alios Principes, qui Catholici vocantur, neglexisse tam nobilis imperii partem recuperare, suoqve jure uti cum Protestantibus. Sane alias Principibus solenne est, non facile prætermittere occasionem, qua jura imperii ab aliis imminuta aut invasa vindicari iterum queant. Reverentia in sedem Romanam & clerum olim tanti valoris non fuit apud generosos Principes, ut ea propter jure suo uti omiserint.

§. 24.



§. 24.

Sed nobis ulterius dispiciendum pauloqve luculentius ostendendum est, qvibus in rebus PRÆROGATIVA IMPERII Principis protestantis consistat. Id vero ex dictis jam adparet, ad tria capita illam revocari posse: Primo loco venit jus in personas ecclesiasticas: deinde jus circa sacras functiones & religionem: tertio jus in bona ecclesiastica.

§. 25.

*Jus in personas ecclesiasticas*, seu ut vocant, *clericos*, cum imperantibus lege naturæ, divina & humana competit; & a Regibus Ebræorum ac a Christianis Imperatoribus etiam a Constantini M. ævo ad seculum usque undecimum usurpatum fuerit; illud sibi a Pontificibus iniqvitate illorum temporum extortum merito vindicatum ivere. Cur enim iniqvo invasori imperii jus in ditionibus suis usurpatum relinquare debuissent? Omnibus certe prudentiæ civilis regulis repugnat, pati, ut externus princeps in suæ ditionis homines ac civis exerceat imperium, eosqve etiam ad tribunal suum evocet, qvod Pontifex R. hactenus facere consvererat. Hac sane ratione dimidia parte imperii Principibus ablata, status in statu manifesto formatur. v. Jacobi I. Regis Britanniæ *Prefat. Monitorii ad Principes Christianos.*

§. 26.

Non tantum vero jus suum in clericos & Sacerdotes strenue asseruerunt; sed etiam tyrannidem, qvam a Hildebrandino ævo Pontifices in Imperatorem Reges & Principes horumqve subditos sibi arrogaverant, mascule excusserunt atqve abrogarunt. Nam ita impudentes ab illo tempore Pontifices facti erant; ut illos imperio exuere subditosque eorum a fidelitatis juramento absolvere haut nefas amplius arbitrarentur. Extant in historia tyrannici hujus

C 2

domi-

dominatus exempla qvam plurima ac satis tristia, qvibus ci-  
ves instinctu Papæ in Principes suos sæpe armati fuere.  
Confer Bonifacii VIII. decretum *C. unicum sanctum d.*  
*Mag. & Min. in 6. & Bullam* adversus Henricum IV. Imp.  
promulgatam. Observarunt tamen inter Catholicos Gal-  
lii imprimis, admissis Pontificum R. decretis, nunquam re-  
gum & principum res & personas in tuto collocari posse.  
*Qvapropter Bellarmini* liber contra Barclajum *de Potest.*  
*Pap.* Parlamenti Parisiensis edicto regio ad rogum damnata  
tus fuit, & combustus fuisse; nisi Regina autoris & Jesuita-  
rum precibus fatigata patrocinium ejus suscepisset, teste  
*Thuano Tom. IV. l. 4.* Henrico IV. Rege Galliæ vel Jesuita-  
rum vel aliorum sacerorum hominum instinctu nefarie oc-  
ciso, in comitiis trium Galliæ ordinum anno 1615. communi-  
bus tertii ordinis suffragiis decretum fuit: *Nullis sedis Apo-*  
*stolicæ interdictis subjacere imperia regum, subditosq;e nun-*  
*qvam sacramento fidei absolvvi posse.* Et quanquam Cardi-  
nalis Perronius huic assertioni cum clero contradiceret;  
tertius tamen ordo constanter autoritatem Regum defen-  
dit: id quod prolixè narrat *Gramondus Histor. Gall. lib. 1.*  
Hinc cum anno 1626. Santarelli e societate Jesu Presbyteri  
de summi Pontificis potestate, quo tyrannis ejus adstrueba-  
tur, liber prodiisset, collegium Sorbonnæ acri & docta non  
tantum censura autorem libri feralis condemnavit; sed li-  
ber etiam ex Parlamenti Lutetiani placito, manu carnificis  
in ignem conjectus, eo ut merebatur, illuminatus fuit, apud  
*Grammond. l. XV.* Ejusdem sententiæ etiam modernum  
Regem Galliæ esse, *quatuor* istæ decantatæ *Propositio-*  
*nes* in conventu cleri Gallicini anno 1682. a Rege confir-  
matæ & publicatæ probant: quæ etiam Pontificis Inno-  
centii XI. animum ita perculerunt, ut literis ad dictum  
modo clerum datis conqueretur: *Cogimur multis cum*  
*lacry-*

*lacrymis usurpare' Propheticum illud: FILII MATRIS MEÆ  
PUGNAVERUNT ADVERSUS ME. v. Heideggeri Hist. Papatus.  
p. 560. seqq.*

§. 27.

Hujus autem Principum Juris notitiam, post inolitam  
Papæ R. tyrannidem, Lutherus ex tenebris primum velut  
eruit, qvod ipse *Tom. IV. Jenens. Germ. f. 431.* prodit, *Tom.  
IV. Jen. Germ. f. 819.* hisce verbis operam suam hac in parte  
laudabilem describens: *Wolan/ wo ein Danck um die schänd-  
liche verfluchte Welt zu verdienen wäre / und ich D. Martinus  
sonst nichts gutes gelehret noch gethan hätte/denn daß ich das welt-  
liche Regiment oder Obrigkeit so erleuchtet und gezieret habe / so  
soltent sie doch des einzig Stucks halber mir danken und gün-  
stig seyn; weil sie allesamt/auch meine ärgsten Feinde / wohl wi-  
szen / daß solcher Verstand von weltlicher Obrigkeit unter dem  
Pabstthum nicht allein unter der Banck gelegen / sondern auch  
unter allen stinkenden lausigen Pfaffen und Mönchen und  
Bettler Flüssen hat müssen sich drücken und treten lassen.* Nam  
ante Lutheri Reformationem in tanta literarum barbarie,  
veræ & genuinæ Politices, qvæ de origine, indole ac perfe-  
cta ratione summæ potestatis, item juribus imperantium  
agit, ignorantia in scholis pariter atq; aulis regnabat; qvum  
qvalescunq; studiorum reliquiæ tantum penes clericos es-  
sent, qvi tum juventutem erudire debebant, omnia pruden-  
tiæ civilis præcepta ad dominationem Pontificiam stabili-  
endam inflectebant; ut potestas Principum angustis termi-  
nis circumscriberetur, potentia vero Monarchæ Ecclesia-  
stici, h. e. Papæ subinde firmaretur magis & augeretur.  
Hinc sane politica disciplina aut omnino neglecta jacuit,  
aut ita perplexe & obscure tradita fuit, ut jura sui imperii  
ipsi nescirent Principes: aut si aliqui forte illa vindicare au-  
derent, statim clericorum turba Papæ R. potentia subnixa

se illis objecerit, turbas ex turbis in Rep. serendo. Id qvod  
historia inde ab Henrici IV. Imperatoris ætate ad secu-  
lum proxime elapsum abunde testatur, & factiones Gvel-  
phorum ac Gibellinorum etiam confirmant. v. Goldasti  
*Haiminsfeldi Replicationem pro S. Cæsarea & Regia Franco-*  
*rum Majestate, illustrissimisq; Imperii ordinibus aduersus*  
*Jacobi Gretseri crimina laſe Majest. rebellionis & falsi anno*  
*1611.* Hanoviae editam. Eqvidem Petrus de Marca, Archi-  
episcopus Parisiensis libro de *Concordia Sacerdotii & impe-*  
*rii edito, molitus est jura curiæ Romanæ cum imperio Prin-*  
*cipum seculari conciliare.* Verum si quis solidioris politi-  
ces peritus viri cætera doctissimi argumenta expendit, con-  
cordiam discordem eo in libro assertam facile deprehen-  
det.

§. 28.

Cum ergo *Clerici* imperio principum jure non sunt  
exempti; porro demonstrandum venit, qvod etiam eorum  
*acta vel actiones* civili imperio subjaceant, atq; ab iis regi  
vel dijudicari debeant.

§. 29.

*Acta* autem seu *actiones clericorum* distingvi possunt  
in *actiones ministerii sacri*, & *vulgares* qvas cum aliis in vita  
civili habent communes; cum atq; ut alii cives vitam hanc  
transigere socialem teneantur.

§. 30.

*Acta* ministerii sacri propria sunt iterum duplices gene-  
ris, *quædam* sunt ex institutione divina, ut prædicare Evan-  
gelium, administrare sacramenta, officio, qvod vocatur, cla-  
vium defungi. Hæc cum altioris atq; divinæ institutio-  
nis sint, per se qvidem humano imperio non subjacent, fieri  
tamen potest; ut, si ministri aut doctores Ecclesiæ istas divi-  
ni officii partes non rite, uti Deus in sacris literis præscripsit,

&



& ordinavit, obeant; eadem ex accidenti Principum aut magistratus moderationi vel etiam correctioni fiant obnoxia: puta, ut falsorum dogmatum praecones coercentur, haereses spargere prohibeantur, abutentes sacramentis aut officio clavium corrigantur. Competit enim Principi Christiano inspectio generalis ut in Ecclesiam, ita & in acta ejusdem ministrorum sacra; cum nulla res tam sancta sit, quin ubi humanis ingenii & manibus tractatur in abusum trahi, aut ex pravitate ingenii aliquid pravi admisceri queat.

§. 31.

Deinde *quædam* ad acta ministerii sacri referuntur, quæ absqve mandato divino ex consensu Ecclesiæ recepta sunt, ut ritus ecclesiastici & ceremoniæ. In his ne quid obtentu Religionis contra ordinem aut decus ecclesiæ fiat, aut privato ausu mutetur cum officiulo populi; Principis quoqve est providere, ne tranquillitas forte Reip. turbetur. Ideo etiam illi potestas inquirendi & cognoscendi competit, quid negotiorum tum in cultu Dei publico externo, tum in conventibus Presbyterorum, aut si quæ fiat, Episcopali audiencia tractetur; num forte illi a legibus ecclesiasticis & civilibus hac in parte discesserint. Ubi sane nulla causa adparet, si omnia ab ipsis recte fuerunt peracta, cur indignari velint, Principem Christianum edoceri velle super istis actis; præsertim cum Principem nutritium ecclesiæ & supremum Episcopum venerari debeant. Cujus utique officii pars est, curam gerere, ut omnia ad ordinem & decus ecclesiæ in cultu etiam externo referantur.

§. 32.

Cæteras vero *actiones* in vita communī *clericorum*, æque ut aliorum civium, directioni & correctioni subesse civili potestati, vel inde patet; quod ipsorum personæ isti subditæ sunt. Atque hinc clericis non licet, si contra leges vel

vel divinas vel humanas egerunt, forum Principis declinare. Principis enim Christiani maxime jus est, mores clericorum a sanctissimis præceptis Salvatoris deflectentes emendare, & actiones eorum omnes legibus etiam civilibus repugnantes corrigere, vel etiam pœnis eo magis coercere, quod clerici mōrum sanctimonia & studio justitiæ aliis civibus prælucere debeant. Unde cura disciplinæ ecclesiasticæ etiam ad Principes Christianos spectat, qvæ olim, antequam ipsi fidem Christianam amplexi essent, penes Presbyterium aut Episcopos fuit.

§. 33.

Atqve hinc Jus Principis est, vel canones veteris Ecclesiæ recipere iisqve vim legum civilium addere, vel novas etiam leges ecclesiasticas sancire, qvæ vim sanctionis legum civilium habent in ecclesia; ita, ut illis obtemperare clerici teneantur. Hoc jus Principibus Protestantibus in Germania in formula Pacis Religiosæ an. 1555. §. 20. confirmatum fuit his verbis: Damit obberührte beyderseits Religionsverwandte so vielmehr in beständigen Frieden und guter Sicherheit gegen mit und bey einander sitzen und bleiben mögen/ so soll die geistliche Jurisdiction (doch den geistlichen Churfürsten/ Fürsten und Ständen/ Collegien/ Klöster und Ordens-Leuten/ an ihren Renten/ Gütern/ Zins und Zehenden weltlichen Lehn-schäften/ auch Rechten und Gerechtigkeiten/ wie ob stehet/unvergriessen/) wider Augspurgische Confession, Religion/ Glauben/ Bestellung der Ministerien/ Kirchen-Gebräuchen/ Ordnungen und Ceremonien/ so sie auffgericht oder auffrichten möchten/ bis zu endlicher Vergleichung der Religion/ nicht exerciret/ gebraucht oder geübt werden/ sondern derselbigen Religion/ Glauben/ Kirchen-Gebräuchen/ Ordnungen/ Ceremonien und Bestellung der Ministerien/ wie hiebevor nachfolgend ein Articul gesetzt/ ihren

ihren Gang gelassen/ und kein Hinderniß oder Eintrag dadurch geschehen/ und also hierauff wie obgemeldet / bis zu endlicher Christlicher Vergleichung der Religion die geistliche Jurisdiction ruhen/ eingestellet und suspendiret seyn un̄ bleiben. Igitur qvicqvid ante Jurisdictionis ecclesiasticæ vel Episcopalis erat in Ecclesia, id Statibus Protestantibus tributum atqve confirmatum fuit.

§. 34.

Idem jus in formula Pacis Westphalicæ seu Osnabrugensis *an. 1654.* denuo *art. V. §. 1.* in omnibus suis capitulis unanimi Imperatoris, Electorum, Principum utriusque Religionis consensu initis ac conclusis ratum fuit habitum, ut sancte & inviolabiter servetur. *Num. 49. art. V. cit.* additur, qvod in Civitatibus etiam Imperii, ubi mixtae religionis exercitium in usu est, Catholicis Episcopis in Cives Aug. Confessionis nulla debat esse jurisdiction. *Art. VII. n. 1.* eadem potestas circa sacra, qvæ A. Confessioni invariatae addictis competit, iis Principibus & Ordinibus, qui inter Protestantes nempe *Reformati* vocantur, tribuitur. Ac ne hac in parte turbidi sacerdotes aut doctores aliquid molirentur, qvod civium animos ob diversa sacra concitare queat, *art. V. n. 50.* severe caustum fuit his verbis: *Utriusque Religionis Magistratus severè & rigorose prohibeat, ne quisquam publice privatimve concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo Transactionem Passavensem, Pacem Religiosam, vel banc imprimis sive declarationem sive transactionem uspiam impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur.* Fecit id tamen Innocentius X. Papa R. *Bulla A. 1651. d. 3. Jan.* publicata, qva pacem communis Principum Europæ consensu conclusam ideo abrogare ille ausus est, qvod Protestantibus Statibus cum libero religionis exercitio, bonorum ecclesiasticorum possessio confirmata fuisset. Sed *D. Hornbeckius* illam justo examine perstrinxit atqve confutavit.

D

§. 35.

§. 35.

Præter jus igitur imperii in personas & actiones clericorum, Principes Protestantes quoque jus in *bona*, quæ vocantur *ecclesiastica* habent, meritoque exercent juxta formulam *Pacis Ornabr. art. V. §. 14.* Id quod paulo altius nunc deducendum venit; cum id semper ægerrime Papa R. & Sacerdotes Romano-Catholici tulerint, quod eodem tamdiu antea usurpato carere non sine rerum suarum detrimento necessum habuerint; quasi in laudata pace id, quod validius prævaluisset justo, ceu assentatores sedis R. garriunt atque calumniari audent.

§. 36.

Ut ergo juris hujus ratio pateat, tum quid *bona* illa sint, tum unde obvenerint paulo distinctius declarandū est. Bonorum autem istorum nomine venire Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Prælaturas, Commendas, Monasteria eorum redditus, puto notius jam esse, quam ut hic operose exponi debeat. Igitur hæc unde Ecclesiæ obvenerint, unde aucta & in quem ipsum destinata fuerint, paucis memorabimus.

§. 37.

Tenues nimirum Ecclesiæ Christianæ primum res erant, cum non ob commoda hujus vitæ, sed ob salutem animarum post hanc vitam procurandum a Christo & Apostolis verbi divini præconibus Ecclesia instituta foret. Unde Doctores ejus primum vel opera manuum suarum, vel ex stipe aliorum collata vitam sine luxu & absq;ue splendore transigebant. Verum postquam Principes Ecclesiæ nomina dare cœpissent, Episcoporum autoritatem non tantum confirmarunt, sed opibus etiam adjectis res eorum auxerunt: ut alacrius curis sacris invigilarent, populum erudirent, doctrinamque Christianam latius simul disseminarent. Præsertim cum multæ adhuc gentes barbarie infectæ veram salutis viam nescirent. Donati ergo Episcopis & ecclesiis non solum fundi, decimæ, aliquæ reditus, sed etiam integra Dominia, Comitatus & Ducatus, imo &

& tandem regalia jura addita, ut Principibus exæqvarentur.  
Quantum enim per largas donationes & testamenta proce-  
rum juxta & plebejorum in clericos sit collatum, nemo tam  
hospes in historia erit, qvi ignoret ; imprimis cum Purgatorii  
ignis accensus esset, cujus ustulationes quantovis pretio redi-  
mere malebant, qvam illas experiri. Germanos præcipue Re-  
ges ac imperatores, Caroli M. & Ludovici Pii exempla imita-  
tos nimis liberales (nescio an dicam) prodigos fuisse, historiæ  
affatim testantur. Merentur hic annales illorum temporum  
& Conringii Exercit. Sept. de Constitutione Episcoporum Ger-  
maniae evolvi.

### §. 38.

Cumulatis igitur sic & propemodum in immensum au-  
tis Ecclesiæ bonis, qvæstio ardua subnata fuit ; *an partem il-*  
*lorum decerpere, & ad meliores usus convertere Principibus*  
*Protestantibus licuerit ; ita, ut in illa simul jus sibi affererent,*  
*exclusa cleri jurisdictione ?* Affirmarunt hoc merito Prote-  
stantes, illis etiam hac de causa manus injicientes ; ut ad medi-  
ocritatem & meliorem usum redigerentur. Contra qvi jus  
Pontificis R. in omnes personas ac res sacras mordicus assere-  
bant, id tanq; inique factum passim traduxerunt.

### §. 39.

Illi vero ut jus suum in hæc bona affererent, *primo* de-  
monstrarunt imperium Episcopo R. sacrum & monarchicum  
in omnes Christiani orbis ecclesiæ, earumque bona jure di-  
vino neq; vaqvam competere : *Secundo* Ecclesiam & Religio-  
nem sine magna illa opum vi melius conservari posse, atq; ve  
vigere ; si luxui, qvæ pietatem suffocasset, materia subtrahat-  
ur : *Tertio* opes istas exuberantes ex bonis civitatis & qvidem  
cum ipsius detrimento, sæpius artibus non optimis fuisse partas  
& corrogatas : *Quarto* non fuisse hactenus ad usus, qvibus  
primum destinatæ fuerunt, insumtas ; cum iisdem vel otiosi  
homines in claustris, qvi superstitioni magis, qvam vero divi-

no cultui vacassent, sustentati, aut luxuriæ splendidae clericos haut decenti impensaे fuissent: *Quinto* juri Imperii conveniēs esse, ut abusus talium tollatur; cum attenuatis civitatis opibus, non possit non civitas ipsa ad incitas redigi. Præsertim cum ex istis nihil aut parum in usus reip. erogetur; multum vero inde extra civitatem deferatur Romanum cum damno patriæ nunquam resarciendo: *Sexto* nullam rationem adparere, cur religio Christiana non æque feliciter scopum suum assequi possit; si jus in omnes opes civitate contentas imperio civili relinqvatur, & pro utilitate Ecclesiæ & Reip. a rectoribus ejusdem vel dispensentur & exuberantes opes publico vindicentur, aut in alios usus meliores vel dominos transferantur.

§. 40.

Hisce justis Protestantium rationibus clericalis dominatus defensores varia opposuere argumenta, qvæ aut falso nitentur fundamento, aut adparenti tantum juris specie vel colore simplicioribus imponerent.

§. 41.

Sic ruinosum est manetqve Imperii Pontificii fundatum, quamdiu liqido non fuerit ostensum: Christum instituisse per Apostolos novum imperii genus per omnes orbis resp. diffusum, cuius caput Episcopus sit Romanus, qui pro iure, quo pollere vult, possit delegata potestate in ordinem sacrum cooptare socios qvotqvot libeat plurimos, qvibus integrum sit opes non tantum possidere sufficientes, sed & lucrosis onerosisq; titulis corradere opes luxuī & splendori magnifico inservientes; ita, ut Monarchæ isti ceu Christi Vicario sumum & absolutum tum in personas hasce sacras omnes, tum in opes competit imperium, quo invito, nulli potestati civili liceat particulam istorum exuberantium bonorum in usus reip. decerpere. Isthoc privilegium si a DEO Pontifici R. indulatum fuisse demonstratum fuerit; Principes Protestantes utique jugo illi succollare iterum, nefasq; censere oportet, cras

on



cras hasce opes repugnante Pontifice, vel attractare tantum.  
Enimvero hoc nunquam ex jure divino probari poterit.

§. 42.

Deinde Romanenses urgebant justum possidendi titulum, *donationem Cæsarum aliorumq; Principum*, ex qva longo tempore jam bona ista possedissent. Heic primum quidem haut negaverim, qvam plurima animis donantium superstitione qvadam infectis donata fuisse; omnia vero bona ista, ex dono & munere clericis obvenisse, non facile quisq; probare sustinebit. Nimis enim notæ sunt tum Pontificis R. tum qui ab illo dependent sacrorum hominum artes, queis multa aliorum bona attraxerunt. Ex multis unum hujus rei testem citabimus: *Bene Petrus inquit Cranzius l XI. Metropol. c.24. laxavit rete, bene duxit in altum & traxit rete plenum magnis piscibus. Unde merito audivit etiam in hoc casu a communi domino: Modicæ fidei qvare dubitasti, num potens sim tibi dare provincias & regna? Tu dubitasti, num potui orbem pedibus tuis subjicere? qvare dubitasti? Nonne Domini est terra & plenitudo ejus? Ecce, magna pars Italiæ tibi tributaria est. Per universam Germaniam & Hispaniam de ecclesiis & majoribus beneficiis disponis; in Francia idem facturus, nisi ad inventio pragmaticæ sancti onis obfisteret: Ex Anglia & Polonia uber tibi proventus, qvia omnia inde capta tibi sunt censualia. Ungaria mittit aurum, nec detrectat Illyricum. Ergo laxa Petre retia, angusta interim sunt; laxa, ut fiant capaciora. Duc in altum, qvia ad littora nulli sunt pisces, in altitudine maris in profundo nationum, ibi sunt pisces, qvos capies: Duc in altum, nam in Iudea angustiis non est, qvod impletat saganan. In omnem terram cum sono exiit imperium tuum; ut non sit, unde merito possis dubitare. Amplificarunt per tempora summi Pontifices magnifice ditionem Ecclesie: non per ementitam Constantini donationem, qvæ nunquam facta, seu per munificentiam aliorum principum, sive Gothis, sive de Longobardis, sive per Magnum Carolum: qvod latius alibi*

ostendimus. Ampliarunt in ecclesiasticis rebus per reservationes confirmationes & Provisiones fimbrias suas: Laxarunt retia & varia in suam traxere potestatem. Hæc Cranzius, sat libere, sed ex vero scripsit. Præterea, ut taceam multas donationes vitio laborasse; notum est ex diplomatibus antiquis, dona illa in primis divinæ gloriæ in Ecclesia promovendæ destinata fuisse primum; ut essent plures, qui alacrius juventutem erudirent, populum docerent, sacra obirent munia, disciplinam curarent ecclesiæ necessariam. Verum neglecto hoc fine, utique quæ propter illum collata ipsis fuerant, revocari posse, sana ratio quenamvis docet. De abusu vero hoc intolerando præter historiam, testantur sacri R. Imperii Principum ac Procerum *Gravamina centum, quæ aduersus sedem R. & totum Ecclesiasticum ordinem oratori Pontificie sanctitatis in Comitiis Germanorum Principum Norinbergæ A. 1522. publice præposita fuerunt.* v. excellentissimi J. Cti D. Schilteri de cibert. Eccles. Germ. lib. VIII.

c. 2.

### §. 43.

*Abusum* vero istorum bonorum justam Protestantibus causam repetendi eadem & ad meliores usus vertendi præbuisse, ex ipsius Pontificis R. Clementis IX. Bulla An. 1668. d. 6. Decemb. Romæ publicata probabimus, quæ *Suppressionem Congregationum Canonorum S. Georgii in Alga Venetiarum ac Fratrum Jesuatarum & S. Hieronymi de Fæulis* promulgavit. In hac, ut ipse loquitur Pontifex more seduli patris familias dicit, se curæ agri dominici jugiter invigilare ad evellendas inde religiosorum Ordinum & Congregationum plantas, quæ deficiente primo religiositatis vigore atque spiritu, nullam seu valde modicam in ecclesia DEI utilitatem præstant, sicut publico ejusdem Ecclesiæ bono conducibile in Domino arbitratur. Unde colligas, ut hortulano liberrimum circa plantas arbitrium est plantas evellere, alias inserere, ex uno loco in aliud transferre, circumcidere, luxuriantem multitudinem coercere, prout usus & decor horti postulari videatur: ita quoque licere Pontifici herbas noxias, & quæ melioribus nutrimentum subtrahunt

hunt, exterminare, eradicare, qvia aut nullam plane utilitatem,  
aut valde modicam Ecclesiæ DEI præstant. Qvæ causa ergo  
Pontificem R. movit, ordines Monachorum dictorum suppri-  
mere, eorumq; bona publicæ utilitati vel necessitati adplica-  
re; eadem & Protestantium fuit, ob qvam Monachorum gre-  
ges a primævo religiositatis vigore atq; spiritu deficientes ex-  
turbanunt, & bona eorum ad meliores usus transtulerunt. Un-  
de colligas ex sententia Pontificis R. plane posse aboleri Ordini-  
nes Religiosorum, qvi etiam peculiaribus delictis ac vita flagi-  
tiosa id non sunt promeriti, eorundemq; bona adplicari usibus  
reip. illius, in cujus ditione sita sunt; etiam ubi nondū extrema  
plane necessitas subegerit: qvia ipse dictos supra ordines sup-  
pressit, ut eorum bona Venetis in usum belli Candiani adver-  
sus Turcas cederent. Cur ergo Protestantibus Principibus id  
vitio verti debeat, qvod idem fecerint. Qvod enim Pontifex R.  
existimat in suo solū esse arbitrio situm, bona talia possessori-  
bus antiquis relinquerere, vel adimere, aliisq; denuo attribuere;  
id est, qvod Protestantes tamdiu negant, qvamdiu ipse imperii  
sui affectati jus liqido non probaverit. Cæterum persvasum  
est Protestantibus & qvibusdam etiam aliis Principibus, rem  
**Christianam** commode Ordinibus illis religiosis, qvos vocant,  
carere posse. Cum vulgares sacerdotes ad sacra obeunda suffici-  
ant, ac informationi juventutis, circa qvam nonnulli satagunt,  
non minus diligenter ab iis invigilari possit, qvi nullo voto te-  
nentur. Qvicqvad juris Pontifex R. in dicta Bulla pro justitia  
suppressionis nominatorum Ordinum Sacrorum adducit, id et-  
iam Protestantes Ordines pro jure suo circa suppressionem  
ordinum religiosorum tempore reformationis factam, & ap-  
plicationem eorum bonorum ad usus Reip. & Ecclesiæ utilita-  
tem, urgere posse, B. Pufendorfius in *commentatione ad illā Bul-  
lam elegantissimā* demonstravit. Desinat ergo Romani para-  
siti exprobrare Protestantibus sacrilegia & rapinas bonorum  
ecclesiasticorum, ni eodem crimine involvere velint Pontifi-  
cem.

§. 44.

AK TK 1970 §. 44.

Deinde si *Episcopatus* non possunt in secularem conditionem redigi, cur Pontifex R. Clemens VII. consensit, ut A. 1528. Henricus Bavarus, Episcopus Ultrajectinus Carolo V. Cæsari tanquam duci Brabantiae & & Hollandiae comiti Episcopatum cum jurisdictione summa media infima mixta ac denique universum absolutumque profanæ jurisdictionis imperium, ea ratione, ac modo, quo id præcedentes Antistites supra nongentos possedissent annos, cederet? Qvam transactionem anno sequenti Papa Clemens, 13. Kal. Septembris confirmavit. v. *Francisci Harei Annal. Ducum seu Principum Brabantiae totiusq; Belgii tom. II. f. 579. sq.* Nemo, qvod sciam, hactenus Carolum V. hac de causa injustitiae arguit. Cur ergo Protestantes Principes, qui par iure hac in parte usi sunt, calumniis sacerdotum & sacrificiorum petantur? Sane causa nulla adparet solida, qvæ se robore aliquo tueatur, ut aliter sentiamus.

§. 45.

hi Unde qvæ nunc in medium allata sunt argumenta, satis comprobare arbitror, jus in res & bona ecclesiastica Principum Protestantium firmo satis niti fundamento; ut, qui convellere id velit, solida civilis prudentiae fundamenta non possit non simul subruere, ac summæ in civitate potestatis Jura subvertere; sine qvibus tamen nulla civitas cōsistere aut tranquilla atq; secura esse potest. Si enim per omnes civitatis partes sparsi sunt vovendi homines otiosi, qui efficacissimum qvoddam imperii genus simul in cives exerceant, amplissimas opes ac ditiones teneant, atq; a nutu Principis extranei dependeant, cuius rationes maxime a scopo reip. discrepant; qvis non videt statum sic in statu non sine periculo & damno reipublicæ maximo formari, ipsamq; Rempublicam effici bicipitem.

§. 46.

Qvapropter ut in summā dicta hactenus contrahamus, PRINCIPIS PROTESTANTIS PRAEROGATIVAM IMPERII esse justam, juriq; naturæ ac divino maxime cōvenientem, & si cum imperio seu potestate Romano-Catholici Principis conferatur *eximiam*. Nemo inde Principum prudens, cui imperium plenum, salusq; publica cum religione curæ cordiq; sunt, facile sibi persuaderi patietur; ut jugum Pontificum semel excussum iterum subeat, aut diyisum cum Væjove Romano exercere malit. Dulce nō tantum, sed justum qvoq; est regnare solum. Si adprobare id aut tolerare Praefulum aut sacerdotum ordo nolit, satis produnt, non jus divinum, non pietatem sibi cordi esse; sed dominationem, & ut per pingue otium saginæ suæ vacare liceat. Id qvod nemo juris divini ac

humani intelligens adprobabit.

S. D. G.

WDT

BI  
POM

